

gitimè jam à proprio Episcopo ad clericalem tonsuram, seu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo, ratione ac titulo cuiuscumque beneficii in illius diœcesi obtenti, ad ultteriores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem, testimoniales litteras proprii Episcopi, tam originis, quàm domicilii, super suis natalibus, ætate, moribus & vitâ sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo Ordinanti exhibuerit. (Constitut. Speculatores, scđ. 7.)

Quæritur 5º. an disciplina quæ triplicem admittit Episcopum, à quo licitè conferri possunt Ordines, in Gallis abrogata fuerit.

Resp. 1º. Gallicanis Præfulibus vehementer in votis fuisse, ut solius Episcopi originis ratio haberetur. Id patet ex variis Comitibus generalibus, & Litteris Encyclicis quibus alios Regni Episcopos, ut ita se gererent adhortati sunt. (Mém. du Clergé, édit. de 1716. tom. 5. pag. 507. & suiv.) 1º. Quia simulatum domicilium à verò facillè discerni non potest, cum sæpè fiat ut qui in aliena Diœcesi diu commoratur, animum tamen retineat in patriam redeundi; 2º. quòd periculum sit ne qui in aliena Diœcesi Ordinari cupiunt, eò confugerint ut Ordinanti Episcopo ementitâ pietate fucum faciant; 3º. quia quòd magis aliquis à regula deflectit, beneficia variis in Diœcesibus obtinendo, eò faciliùs ubicumque sibi libuerit, Ordinari potest.

Resp. 2º. in Gallis abrogatam non fuisse disciplinam quæ Episcopo permittit ut eos Ordinet, qui titulo vel beneficii, vel domicilii sibi subijciuntur: eam quippè auctoritatem non sibi vindicant Cleri Gallicani Comitibus, quâ valeant novas leges constituere, quæ antiquas rescindant; quapropter intra meras adhortationes aliis Episcopis factas sese continuerunt; quibus hortamentis non cesserunt omnes Galliæ nostræ Præfules. *Il sau-*

droit être bien étranger en France, inquit Gibert, pour ignorer que des Evêques d'aïlleurs irréprochables, donnent les Ordres à ceux qui ne sont de leur Diocèse, qu'à raison du domicile ou du bénéfice, & que les exemples n'en sont pas rares. (Consult. 7. tom. 2. de l'Ordre, pag. 37.)

Quæres 6º. quis sit proprius Regularium Episcopus.

Resp. eum esse in cujus Diœcesi situm est Monasterium, in quo Superiorum jussu commorantur; ab eo igitur debent Ordines suscipere, neque ad alienum, nisi ex ipsius licentia, confugere possunt: ita in diversis Conciliis statutum fuit, & maximè in Burdigalensi an. 1624. (Titulo de Ordine, cap. 12. tom. 15. Concil. pag. 1650.) Ratio est quia, cum mundo renuntiauerint, jam non pertinent ad Episcopum originis; non alius ergo proprius eorum Episcopus censei potest, quàm ille in cujus Diœcesi domicilium habent. Nec opponant Pii V. an. 1567 Bullam, per quam Fratibus mendicantibus indulget, ut sacros Ordines à quolibet Antistite, . . . Ordinarii loci licentiâ minimè requisitâ, . . . recipere possint. (Magn. Bullar. Rom. t. 2. p. 229. col. 2.) Hanc enim constitutionem revocavit Gregorius XIII. immediatus Pii V. successor, Constitutione In tanta. an. 1573. (Ibid. pag. 370. & seq.)





## CAPUT V.

De Ordinationis subiecto & conditionibus ad eam suscipiendam requisitis.

**H**IC quæritur quinam sint ad recipiendam Ordinationem idonei: quasdam enim conditiones requirit, quibus deficientibus, aut invalida esset, aut illicita; de eis autem breviter differendum.

Quæres 1<sup>o</sup>. quænam sint conditiones quarum defectu irrita sit Ordinatio.

Resp. Duæ sunt: prima est sexus masculinus; ab Ordinis enim ita mulieres excluduntur, ut nulla prorsus esset earum Ordinatio. Damnavit Ecclesia Montanistas, aliosque veteres hæreticos qui feminas ad sacros Ordines promoveri posse contendebant. Id jam prohibuerat Apostolus, dum ait: *Mulieres in Ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subiectas esse.* (1. Cor. 14. 34. & 35.) *Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* (1. Tim. 2. 12.) Porro si mulieribus ne quidem loqui in Ecclesia permissum est, multò minùs licèt sacros Ordines suscipere, officiaque iis illigata solemnè ritu peragere. Præterea in hypothèsi quam refellimus, mulieres ratione susceptæ dignitatis, v. g. Sacerdotii; in viros ipsos dominantur: quod vetat Apostolus.

Secunda est Baptismus sine quo priùs recepto, valida esse non potest Ordinatio; quia nonnisi per Baptismum ad cetera Sacramenta fit aditus. Quapropter in Concilio Compendiensi ita præcipitur: *Si quis Presbyter Ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur & iterum Ordinetur.* Extat ea Lex in Decretalibus. (Lib. 3. tit. 43. cap. 1.)

Quæres 2<sup>o</sup>. quænam sint conditiones, quibus omittis, non irrita quidem, sed illicita fiat Ordinatio.

Resp. Variæ sunt quas figillatim exposaturi sumus.

## CONDITIO I.

*Ætas competens.*

Ad licitam Ordinationem certa quædam ætas requiritur, ut sapienter his verbis monet Apostolus: *Nemini citò manus imposueris.* (1. Tim. 5. 22.) Ea de re sic pronuntiat Concilium Tridentinum: *Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum - secundum, ad Diaconatus ante vigesimum - tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum - quintum ætatis suæ annum promoveatur.* (Sess. 23. de Reformatione cap. 12.) Ex consuetudine autem satis est ut anni illi sint inchoati. De minoribus Ordinibus nihil definiunt Tridentini Patres, hæc tantùm habent: *Minores Ordines iis qui saltem Latinam linguam intelligunt, conferantur.* (ibid. cap. 11.)

## CONDITIO II.

*Scientia.*

Scientiæ necessitas 1<sup>o</sup>. in scripturis declaratur: *Quia tu scientiam repulisti, ait Deus, repellam te; ne sacerdotio fungaris mihi.* (Osè. 4. 6.) *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirens ex ore ejus.* (Malach. 2. 7.) Apostolus monet tantà scientiâ instructum esse debere Episcopum, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eps qui contradicunt arguere.* (Tit. 1. 9.) Nomine autem Episcopi intelligit & Presbyteros, quibus populos hortandi & arguendi officium incumbit.

2<sup>o</sup>. Doctrinæ necessitatem passim commendant SS. Patres. *Vix ferenda est in Sacerdotibus excusatio, inquit S. Leo, quæ prætendat inscientiam.* (Epist. 16. ad Epist. Sicil. cap. 1. Edit. Quæstel.)



pag. 462.) Debent Sacerdotes, juxta Gregorium Nazianzenum, *sapientiâ instrui, atque ita demum alios sapientiâ instruere, lux fieri, & alios illuminare.* (Tom. 1. pag. 30.) *Ignorantia mater cunctorum errorum*, inquit Concilium Toletanum IV, *maximè in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. . . Sciani igitur . . . Scripturas Sanctas & Canones, ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat.* (Tom. 5. Concil. pag. 1713.)

Quæres quibusnam potissimum rebus addiscendis operam navare debeant, qui ad sacros Ordines sunt promovendi.

Resp. 1<sup>o</sup>. eos præsertim debere sacrarum Litterarum studio quantocius assuescere, in quibus fidei Catholicæ dogmata majori ex parte continentur. Hinc Apostolus Discipulum suum sic hortatur: *Tu permane in iis quæ didicisti . . . quia ab infantia sacras Litteras nosti. . . Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* (2. Tim. 3. v. 14. 15 & 16.)

Hinc SS. Patres & Concilia divinorum voluminum lectionem & meditationem toties præcipiunt. *Hæc*, inquit Origines, *duo sunt Pontificis opera, ut aut à Deo discat legendo Scripturas divinas, & sæpius meditando, aut populum doceat . . . quæ ipse à Deo didicerit.* (Homil. 6. in Levit. n. 6. tom. 2. Edit. BB pag. 219. col. 1.) *Si Sacerdos est, ait Hieronymus, sciat legem Domini; . . . Sacerdotis enim est scire legem, & ad interrogationem respondere de lege.* (In cap. 2. Aggæi, tom. 3. pag. 1696.)

Synodus Toletana IV: *Sciunt Sacerdotes Scripturas Sanctas & Canones.* (Tom. 5. Concil. pag. 1713.) Turonensis III: *Sanctum Evangelium & Epistolas Beati Pauli Apostoli, non solum crebrius lædient, sed etiam quantum possunt memoriæ stu-*

*deant commendare.* (Can. 2. tom. 7. Concil. pag. 1261.) Denique, ut alias prætermittam, Cabillonensis II, *Decrevimus*, inquit, . . . *ut Episcopi affidui sint lectione, & scrutentur mysteria verborum Dei, quibus . . . animas sibi subditas satiare non cessent.* (Can. 1. Ibid. pag. 1272.) Ad ea Patrum documenta attendant qui sacrum ministerium amplecti se vel profitentes, divinarum tamen Litterarum studium negligunt.

Resp. 2<sup>o</sup>. cum sapientissimo Drouin, catholicam veritatem non Scripturis tantum, sed etiam in divinis apostolicisque Traditionibus contineri, quas ad nos usque SS. Patres & Concilia de manu ad manum inviolatè transmiserunt; optandum igitur esse ut juniores Clerici selecta quædam Patrum opuscula, brevemque Canonum collectionem, quam maturè fieri posset, legerent: ita enim cum Patribus veluti colloquendo, purissimam antiquitatis doctrinam combiberent, & à spuris opinionibus, contra Scripturam & Traditionem inventis, abhorrerent.

### CONDITIO III.

#### Vitæ & morum probitas.

Ea est Ecclesiæ mens, ut nullus ad sacros Ordines promoveatur, nisi semper ab omni crimine purus & immunis vixerit, vel occultas prioris vitæ maculas congruâ poenitentia deleverit. Id manifestum est ex Apostolo qui discipulum admonet, quales esse debeant Presbyteri per civitates constituendi: *Reliqui te Cretæ ut ea que desunt corrigas & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi, si quis sine crimine est.* (Tit. 1. v. 5. & 6) *Pro Diaconis hæc statuit: Et hi autem probentur primum, & sic ministrent nullum crimen habentes.* (1. Tim. 3. 10.)

Quam necessaria sit Clericis vitæ sanctitas, satis probant ipsa sacri ministerii professio augustissimæque illius functiones, 1<sup>o</sup>. Enim ad eam dignitatem



vehuntur Clerici, quâ major esse non potest, cum fiant mysteriorum Dei dispensatores. Quod sumus professione, inquit Autor antiquus, actione potius, quam nomine, demonstramus; ne sit honor sublimis & vita deformis; ne sit deifica professio & illicita actio. (De dignit. Sacerd. in append. oper. S. Ambros. tom. 2. cap. 3. pag. 359.)

2<sup>o</sup>. Sacerdotis munus est, apud Deum pro populo deprecatoris vices agere. Quomodo autem, ait S. Gregorius, aliis veniam postulat, qui utrum sibi Deus sit placatus ignorat? Quâ in re adhuc... sollicitius formidandum, ne qui placare iram posse creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur. (Lib. Pastor. part. 1. cap. 10. Edit. BB. tom. 2. pag. 11.)

3<sup>o</sup>. Debent Clerici Laicis, tum verbo, tum opere præluere, ut eos exemplis & documentis suis ad sanctitatem justitiamque sectandam impellant, unde lux mundi & sal terræ à Christo dicuntur. Quomodo autem utrumque esse poterunt, si peccatorum contagio, sæculique corruptione videantur infecti? Sacerdotis dotes & munia sic describit Gregorius Nazianzenus: Purgari prius, deinde purgare; lux fieri, & alios illuminare; ad Deum appropinquare, & ita alios adducere; sanctificari & postea sanctificare. (Orat. tom. 1. pag. 30.)

4<sup>o</sup>. Sacris Ministris id officii incumbit, ut divinæ legis violatores arguant & corripiant: Sed qui alium de peccatis arguit, ait S. Isidorus Hispanicus, ipse à peccato debet esse alienus: nam qua fronte subiectos arguere poterit! cum illi statim correptus possit ingerere; antè doce te quæ recta sunt. (Lib. 2. de Ecclef. Officiis, cap. 5. tom. 2. pag. 345. col. 2. Edit. Matrit. ann. 1599.)

Nec dixeris brevi tempore defuturos Ecclesiæ Ministros, si in iis deligendis tanta severitas adhiberetur: Deus enim, inquit S. Thomas, nunquam ita deserit Ecclesiam suam, quin inveniantur idonei Ministri, sufficientes ad necessitatem plebis... Si non possent tot Ministri inveniri, quot modò sunt;

melius esset habere paucos Ministros bonos, quam multos malos. (Supplem. quæst. 361. art. 4. ad. 1.)

## CONDITIO IV.

## Interstitia servanda.

Interstitii nomine intelligitur certum temporis intervallum, quod ab uno Ordine suscepto, ad alterum recipiendum debet intercedere. Ea est scilicet antiqua Ecclesiæ lex, ut Clerici in unoquoque Ordine per aliquod tempus definitum immorentur, neque ad majores Ordines prius gradum faciant, quàm in minoribus aliquandiu fuerint exercitati. in Concilio enim Sardicensi an. 347. sic præscribitur: Habebit uniuscujusque Ordinis gradus non minimi scilicet temporis longitudinem, per quod & fides, & morum probitas, & constantia, & moderatio possit cognosci, & ipse divino Sacerdotio dignus existimatus maximum honorem assequatur. (T. 2. Conc. p. 635.) Legem hanc sic confirmat Concilium Tridentinum: Minores Ordines... per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur. (Sess. 23. de reform. cap. 11.)

Ibidem vetat Synodus ne quis ad sacros Ordines promoveatur, ante elapsum à suscepto Acolythatu annum, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas iudicio Episcopi aliud exposcat. Pro Subdiaconis hæc statuit: Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non versati sint, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur. (Ibid. cap. 13.) Pro Diaconis præcipit, ut in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint. (Ibid. cap. 14.)

Denique prohibet ne duo sacri Ordines eodem die conferantur. (Ibid. cap. 13.) Unde sequitur penes Episcopos esse quatuor Minores simul cum Sub-



diaconatu eodem die conferre, quod plurimis in Dioecesebus non raro contingit.

Interstitia duplicem ob causam instituit Ecclesia; tum scilicet ut Clerici quæ sui officii sunt maturè discerent; tum ut accuratius probarentur. Hæc enim in inferioribus gradibus statio, quoddam est veluti tyrocinium, ex quo conjici potest quales in altioribus futuri sint Clerici.

### CONDITIO V.

#### *Ordinatio non fiat per saltum.*

Ordinatio *per saltum* fieri dicitur, cum aliquis, inferiori Ordine prætermisso, accipit superiorem, Presbyteratum, v. g. omisso Diaconatu. Prohibitæ ideoque illicitæ esse hujusmodi Ordinationes, ex multis Summorum Pontificum decretis compertum est. Alexander II, de Clerico consultus qui, omisso Subdiaconatus Ordine, ad Diaconatum & Presbyteratum pervenerat, sic respondet: *Mandamus ut ab officio Sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum jejuniõ, Subdiaconatus ministerium ei ritè imponas.* (Decret. Grat. c. 273.) Innocentius etiam III de Clerico qui, Diaconatu prætermisso, ad Presbyteratum profilierat, consultus sic respondet: *Mandamus quatenus condignam penitentiam. . . injungas eidem, quæ peractâ, . . . ipsum in Diaconum Ordinare procureas, & sic de misericordia eundem ministrare permittas in Ordine Sacerdotii.* (Lib. 5. Decretal. tit. 29. pag. 1778.)

Invalidas tamen non esse hujusmodi Ordinationes ex eo patet, quòd in laudatis decretis præcipiant quidem Romani Pontifices, ut recipiantur Ordines prætermissi, minimè verò ut iterentur qui *per saltum* recepti fuere. Præterea in primitiva Ecclesiâ, inquit S. Thomas, aliqui Ordinabantur in Presbyteros, qui prius inferiores Ordines non susceperant, & tamen poterant omnia quæ inferiores Ordines possunt, quia inferior potestas comprehenditur in supe-

riori virtute, potestas, v. g. Diaconorum in Sacerdotio. (Suppl. quæst. 35. art. 5.)

### CONDITIO VI.

#### *Titulus Clericalis.*

Titulus Clericalis est certa quædam boni sive ecclesiastici, sive patrimonialis portio, quæ Clericis ad sacros Ordines promovendis necessaria est, ut quicumque supervenerit casus, habeant unde honestè vivant, nec victum indecorè mendicando quærere cogantur. Nulla fuit antiquitùs tituli clericalis necessitas: hæc enim erat Ecclesiæ disciplina, ut nullus Ordinaretur Clericus nisi alicui Ecclesiæ addiceretur, ut in ea ministerium exerceret, unde victum percipiebat. Eâ de re multa sunt Conciliorum decreta; Synodus, v. g. Chalcedonensis statuit eos qui ita Ordinarentur, ut alicujus Ecclesiæ ministerio specialiter addicti non essent, *nusquam exercere ac operari posse, ad ejus qui Ordinavit injuriam.* (Tom. 4. conc. pag. 757.)

Sed deficiente XII sæculo, mutata est hæc Ecclesiæ disciplina, usufque obtinuit ut nullus ad sacros Ordines promoveretur, nisi titulum haberet, vel beneficii, vel patrimonii, vel paupertatis. Primi duo tituli Clericis sæcularibus competunt; tertius autem iis qui solemnia Religionis vota emisere.

Quæres 1<sup>o</sup>. quænam sint necessaria, ut beneficium veri tituli rationem habeat.

Resp. tria requiri. Primum, ut canonicè possideatur: si enim fuerit simoniacè acquisitum, nec ei quidem inservire potest, qui simoniam prorsus ignoravit, nisi dimisso eodem beneficio, novam ejus provisionem obtinuerit. Secundum, ut pacificè, id est, sine lite & controversia possideatur. Tertium, ut ad honestè vivendum sufficiat, saltem cum patrimonio conjunctum: *Ne quis deinceps Clericus sæcularis, aut Concilium Tridentinum, ad sacros ordi-*



nes promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum quod sibi ad vicium honeste sufficiat: pacificè possidere. ( *Sess. 12. de reform. cap. 2.* )

Quæres 2<sup>o</sup>. quænam sint conditiones patrimonii in titulum clericalem assignati.

Resp. requiri 1<sup>o</sup>. ut taxationi ab Episcopo præscriptæ respondeat; 2<sup>o</sup>. ut actu possideatur ab Ordinando; non satis igitur esse ut aliquis patris opulenti filius, pinguem ab eo hereditatem jure speraret; 3<sup>o</sup>. ut vera, non autem ficta sit possessio: fictè verò possidet, qui rem accipit sub expressa vel tacita illa conditione, ut ejusdem proventus, vel integros, vel majori ex parte, danti aut potius dare fingenti dimittat, cui vitio maximè obnoxii sunt tenuioris fortunæ Clerici qui ut à consanguineis aliquam tituli speciem extorqueant, tacitè saltem spondent se nihil ab iis exacturos; 4<sup>o</sup>. titulus super re fixa & certa constituatur necesse est; idcirco pater filio titulum ex eo lucro efficere non potest, quod ex arte suâ percepturus: est sapè enim contingit ut hujusmodi spes in fumum abeat: 5<sup>o</sup>. titulus ab omni onere debet esse expeditus, quo vel incertus fieret, vel ipsius pretium immiueretur: eam ob causam in titulum admitti non potest fundus cui illigata est hypotheca, & qui potest à creditoribus occupari: eandem ob causam non valet titulus, qui Clerici fratres legitimâ sibi que debitâ hereditatis parte defraudaret, nisi eam æratem attingerint, quâ donationem hanc ritè approbare possint.

Quæres 3<sup>o</sup>. an titulus à Clerico dimitti possit sive per resignationem, si beneficium; sive per alienationem, si bonum sit sæculare.

Resp. 1<sup>o</sup>. Beneficium quod tituli loco est, ab Ordinato resignari non potest, nisi factâ mentione quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque

ea resignatio admittatur, nisi constiterit quòd aliundè commodè vivere possit; aliter factâ resignatio nulla sit. Ita Concilium Tridentinum, *Sess. 21. de reform. cap. 2.* In Gallia tamen validè resignatur hujusmodi beneficium, etiam si Clericus non aliundè habeat quo vivere possit, ut docet *Brillon*, (*Diâ. des Arrêts.*) Graviter nihilominus peccaret Clericus, qui in eo casu resignaret; tùm quia legem sapientissimam & in Concilio generali constitutam violaret; tùm quia in periculum indigentia: suæ statui indecoræ sese conjiceret.

Resp. 2<sup>o</sup>. titulum patrimoniale sine licentiâ Episcopi alienari aut extingui, vel remitti nullatenus posse à Clericis, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliundè habeant unde vivere possint. Ita Concilium Tridentinum. (*Ibidem.*) In Edicto Aurelianensi an. 1560 sic habet Carolus IX: *Avons déclaré le revenu temporel ( du titre ) inaliénable & non sujet à aucunes obligations & hypothèques, créées depuis la promotion du Prêtre durant sa vie.* (*Mém. du Clergé, édit. de 1716. tom. 5. pag. 591.*)

## CONDITIO VII.

*Dimissoria Litteræ, si quis ab alio quàm proprio Episcopo sit Ordinandus.*

*Litteræ dimissoria* ita vocantur, quia per eas proprius Episcopus quempiam sibi subiectum ad alium Episcopum dimittit, ab eoque Ordines suscipiendi facultatem concedit. Quâ in re nonnulla diligenter ab Episcopis observanda præscribit Concilium Tridentinum; statuit enim 1<sup>o</sup>. ut Episcopi per semetipsos Ordines conferant, quantum fieri potest; (*Sess. 23. de reform. cap. 3.*) 2<sup>o</sup>. ut subditos suos non aliter, quàm jam probatos & examinatos, ad alium Episcopum Ordinandos dimittant. (*Ibid.*)



Præterea Concilium Narbonense an. 1609. decernit non concedendas esse Litteras dimissorias, nisi ad unum duntaxat annum valituras, quo elapso, *dictæ Litteræ nullius sint effectus.* (Cap. 2. tom. 15. Concil. pag. 1594.) Cum autem juniores Clerici intra unius anni spatium aliquando mutantur in pejus, curandum ut qui Litteras dimissorias anno penè integro antiquiores deferunt, continuatæ pietatis testimonium, vel à Seminariorum Moderatoribus, vel à Parochis datum simul exhibeant. Denique in Concilio Mediolanensi IV & in Burdigalensi an. 1624, (Cap. 6. sect. 9.) aliisque nonnullis prohibitum est, ne dimissoriæ Litteræ ad omnes Ordines concederentur. Cur autem id vix unquam fieri debeat, ratio est quia si hujusmodi Litteræ dentur, ut omiſſis interstitiis recipiantur Ordines, Tridentinos de iis servandis Canones labefactant. Si verò eâ lege tribuantur, ut interstitiorum legi nulla fiat injuria, tunc contingere potest ut per illud temporis intervallum, Ordinandus priorem morum integritatem non retinuerit. Quapropter Gallicani Præsules in Comitibus generalibus an. 1657. statuerunt, rogandos esse alios Episcopos, ut Litteras dimissorias non nisi ad singulos sigillatim Ordines concederent. (Mém. du Clergé, édit. de 1716. tom. 5. pag. 476.)

Non ab Episcopo tantum, verum & ab ejus Vicario generali dari possunt, modò expressam ea de re facultatem acceperit ab Episcopo. Eas etiam, Sede vacante, largiri potest Ecclesiæ Cathedralis Capitulum, sed non nisi anno post obitum Episcopi elapso, ut statuit Synodus Tridentina. (Sess. 23. de Reform. cap. 10.) Intra annum tamen à Capitulo iis concedi possunt, quos *Arçatos* vocant; id est, qui beneficii sui titulo intra annum Ordines suscipere tenentur.

Litteræ dimissoriæ vim habent, etiam post mortem Episcopi à quo fuerunt concessæ, nisi ab ipsius successore revocentur. Ratio est, quòd mera

sint gratia quam inferiori suo indulget Superior: at qui *gratia*, inquit Bonifacius VIII, *durabit perpetuò, nisi à successore fuerit revocata.* (In Sexto, lib. 1. tit. 3. cap. 5.)

### CONDITIO VIII.

#### Vocatio.

Divinam *vocationem*, licet inter alias conditiones primum locum obtineat, ultimam quasi coronidis loco subjungimus, quia ceteras omnes aut in se complectitur, aut requirit.

Quæres 1º. quid *vocationis* nomine intelligatur, & quæ ejus necessitas.

Resp. *Vocationis* nomine eam intelligimus electionem, quâ Deus quosdam homines ad sacras functiones obeundas, præ aliis selegit ac destinavit. Quam autem necessaria sit innumeris argumentis demonstrant sacri Codices. 1º. Enim Deus Levitas in veteri lege, & Apostolos, cum novum foedus instituit, tanquam suos Ministros elegit: *Non vos me elegistis*, inquit, *sed ego elegeri vos.* (Joan. 15. 16.) 2º. Christus tanquam furem & latronem eum habet qui in ovile per ostium non ingreditur: id est, qui, ipso non vocante, in ministerium ecclesiasticum irrumpit: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, . . . ille fur est & latro.* (Joan. 10. v. 1.) 3º. Apostolus docet ab eo tantum fumen- dum esse Sacerdotii honorem, qui vocatur à Deo tanquam Aaron. (Hebr. 5. 4.) Exemplum Christi singulis proponit, qui non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, . . . sed appellatus à Deo Pontifex, juxta Ordinem Melchisedech. (Ibid. v. 5. & 10.) 4º. Apostoli in locum Judæ proditoris aliquem sussecuri, Deum sic precantur: *Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris . . . accipere locum ministerii hujus . . . de quo prævaricatus est Judas.* (Act. 1. v. 24. & 25.)



Idem persuadet ipsa ratio. Certum est enim neminem posse ecclesiasticis officiis, maxime pastoralibus, ritè defungi, nisi specialibus Dei auxiliis adjuvetur: numquid autem peculiare illas gratias sperare audeat qui, Deo non vocante, & sæpius inconsulto, in sacrum ministerium sese intrudit? Ex divina enim vocatione, tanquam à radice, pendet gratiarum distributio, sine quibus sacri ministerii functiones non nisi malè exercentur. Nam *sufficiencia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit Ministros Novi Testamenti*; ait Apostolus. (2. Cor. 3. v. 5. & 6.) Hinc præclara illa S. Leonis verba: *Qui mihi oneris est autor, ipse mihi fiet administrationis adjutor; ... dabit virtutem qui contulit dignitatem.* (Serm. 1. in die Assumptionis suæ, cap. 2. tom. 1. pag. 12.)

Præterea nonne gravissimi sceleris reus haberetur, qui sine terreni Principis autoritate & consensu Rempubliam administrare, populis jura decernere, exercitibus præesse audeat? Atqui crimen longè magis horrendum committit, qui sine supremi Numinis vocatione, rebus divinis sese ingerit, & ministerium Angelis tremendum arripit. Cum enim Ecclesia sit Domus & Regnum Dei, illius officia & dignitates pro suo arbitrio distribuere, ad Deum solum pertinet: *Ipse dedit*, ait Paulus, *quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consumptionem Sanctorum in opus ministerii.* (Ephes. 4. v. 11. & 12.)

Hinc colliges quanta cum diligentia Dei voluntatem explorare debeant, qui de amplectendo statu clericali cogitant. Hanc Prophetæ orationem frequenter usurpent: *Notam fac mihi, Domine, viam in qua ambulem, ... doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* (Psal. 142. v. 8. & 10.)

Quæres 2º. quibus signis innotescere possit,

quinam eligantur, quinam verò repellantur à Deo.

Resp. Primum est innocentia & morum integritas quæ, vel nunquam amissa, vel per penitentiam recuperata fuerit; secundum est laboris amor, scientia requisita, ecclesiastica disciplinæ studium, animus à sæculi pravitate alienus; tertium, recta intentio quæ finem laudabilem sibi proponat, qui Ecclesiæ ministerio sese consecrare meditatur, ut scilicet gloriam Dei que cultum promoveat, ut sicut aliorumque salutem sese devoteat. Si post conscientiam diligenter excusam, hæc omnia in seprehenderit, tunc merito colliget ad statum clericalem à Deo se destinari. *Si verò ambitione ducis vel avaritiâ, inquit Hallier, si inhias honori, non oneri, non operis aut cupidus aut saltem patiens, non te vocat Deus, sed diabolus tentat.* (Tract. de sacris electionib. part. 1. sect. 3. cap. 2. §. 4. n. 23. pag. 169.)

Ne quis autem in re tanti momenti seipsum decipiat, consulere debet virum aliquem scientiâ ac pietate conspicuum, & præsertim in rebus ecclesiasticis exercitatum, cui intimos suæ conscientiæ recessus sine ulla dissimulatione aperiat. Si enim generatim sapientissimum sit illud monitum: *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis*: (Eccli. 32. 24.) quanto magis in præfenti materia?

---

## CAPUT VI.

### De Ordinationis effectibus.

**D**UPLICEM sacræ Ordinationis effectum tribuunt Catholici, gratiam nimirum sanctificantem & characterem. Sit itaque



## PROPOSITIO I.

*Ordinatio gratiam sanctificantem confert, non quidem primam quæ hominem ex non justo efficit justum; verum secundam quæ hominem iustitiâ iam ornatum facit iustiore.*

Probatur prima pars. Quod supponit hominem iustitiâ & sanctitate iam instructum, primam gratiam sanctificantem non confert: atqui hominem iustitiâ & sanctitate iam donatum, supponit sacræ Ordinationis Sacramentum. Ad illud enim ritè suscipiendum necessariò præmittendam esse innocentiam, vel nunquam amissam, vel pœnitentiâ reparatam, demonstravimus; ergo, &c.

Probatur secunda pars, nimirum per Ordinationem conferri gratiam sanctificantem secundam, sive illius incrementum. 1º. Ex dictis in Tractatu de Sacramentis in genere, gratia sanctificans vel prima, vel secunda, communis est omnium Sacramentorum effectus, quæ à Christo instituta sunt: atqui ordinationem verum esse novæ Legis Sacramentum, adversus Novatores ostendimus; ergo gratiam sanctificantem parit, non quidem primam, at secundam. Hinc Apostolus Discipulum suum sic monet: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi. . . . cum impositione manuum Presbyterii.* (1. Tim. 4. 14.)

2º. Formæ Sacramentorum ex institutione Christi eum effectum operantur quem significant: sunt enim, ut aiunt Theologi, *signa præctica*: atqui Ordinationis forma, sive oratio manuum impositioni conjuncta, quam vel à primis temporibus adhibuit Ecclesia, tum Græca, tum Latina, gratiam exprimit ad ritè obeundas sacri Ministerii functiones necessariam. Sic apud Latinos Pontifex manus supra Ordinandos Presbyteros imponens Deum rogat, *ut super hos famulos suos, quos ad*

*Presbyterii munus elegerit, cælestia dona multiplicet, & quod ejus donatione suscipiunt, ipsius exequantur auxilio, ut super eos benedictionem Sancti Spiritus, & gratia Sacerdotalis infundat virtutem, &c. ergo per Ordinationem datur gratia quæ homo sacris functionibus, ut par est, obeundis fiat idoneus. Confertur, inquit S. Thomas, in ipsa susceptione Ordinis amplius gratiæ munus, per quod ad majora reddantur idonei.* (Suppl. quæst. 35. art. 1. ad. 3.)

## PROPOSITIO II.

*Ordinis Sacramentum imprimit characterem.*

Probatur. Canone inter Apostolicos 67 sic decernitur: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, secundam Ordinationem ab alio susceperit, deponatur, & ipse & qui Ordinavit.* (Tom. 1. Concil. pag. 39.) Idem statuit Concilium Carthaginense III an. 397: *Non liceat fieri rebaptizationes & reordinationes.* (Can. 38. tom. 2. Concil. pag. 1172.) S. Augustinus de Sacramentis Baptismi & Ordinis ait: *In Ecclesia Catholica utrumque non licet iterari.* (Lib. 2. contra Ep. Parmeniani, cap. 13. n. 28.) Denique, ut alios fileam Patres, S. Gregorius Magnus, *Sicut baptizatus semel, inquit, iterum baptizari non debet, ita qui consecratus semel, in eodem iterum Ordine non valet consecrari.* (Lib. 2. Epist. 46. tom. 2. pag. 608. & 609.)

Unde colligitur istud argumentum: Ex SS. Patribus & Canonibus, Sacramentum Ordinis ritè datum iterari nec potest, nec debet, quia semel acceptum, semper, etiam in Hæreticis & Schismaticis permanet. Sic autem perpetuo consistere non potest, nisi ratione vel characteris quem in anima imprimit, vel ritus externi quo perficitur, vel gratiæ quam confert: atqui duo posteriora dici nequeunt: non quidem primum; ritus enim externus statim atque celebratus fuit, evanescit, quemadmodum & in



aliis Sacramentis; non etiam secundum, quia hæc gratia sæpè Ordinariorum negligentia amittitur. Idcirco Timotheum hortatur Apostolus, ut gratiam sibi manuum impositione datam minimè negligat. *Pendens nos enim est illam, vel extinguere, vel accendere*, ait S. Chrysostomus (*Homil. 1. in. 2. Epist. ad Timoth. n. 2. Edit. BB. tom. 11. pag. 661.*) Superest igitur ut Sacramentum Ordinis perpetuo maneat ratione characteris quem animæ ita imprimit, ut deleri nunquam possit. Ad eum effectum spectant Patrum decreta quibus, ne iterentur sacræ Ordinationes, toties vetitum est.

Hinc Concilium Tridentinum sic pronuntiat: *Si quis dixerit per sacram Ordinationem . . . non imprimi characterem, vel eum qui semel Sacerdos fuit, Laicum rursus fieri posse, anathema sit.* (*Sess. 33. de Ordine, can. 4.*)

## CAPUT VII.

### De Cælibatu sacris Ordinibus annexo.

Hic variæ quæstiones occurrunt excutiendæ; prima de Latine, secunda de Græcæ Ecclesiæ circa sacrorum Ministrorum cælibatum, disciplinâ veteri & novâ; tertia quâ lege, divinâ, an humanâ, præceptus fuerit cælibatus; quarta, utrùm ea lex sapienter instituta fuerit.



## ARTICULUS PRIMUS.

### De Ecclesiæ Latine circa sacrorum Ministrorum cælibatum disciplinâ.

1º. In Ecclesiâ Latina semper prohibitum fuit ne Episcopi, Presbyteri & Diaconi, aut uxores post Ordinationem ducerent, aut ante ipsam ductis uterentur: cujus rei fidem faciunt innumera SS. Patrum, Conciliorum, summorumque Pontificum testimonia; sed pauca tantum seligere jubet brevis. Siricius Papa anno 395 sic testatur: *Sacerdotes omnes atque Levitæ, (sive Diaconi) insolubili lege constringimur, ut à die Ordinationis nostræ, . . . pudicitia & corda nostra mancipemus & corpora, ut per omnia Deo nostro, in his quæ quotidie offerimus sacrificiis, placeamus.* (*Tom. 2. Concil. pag. 1020.*)

S. Hieronymus, *Episcopi, inquit, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium in æternum pudici.* (*Ep. 30. advers. Jovinian. tom. 4. part. 2. pag. 242.*) Concilium Wormatiense an. 868: *Placuit ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi abstineant se ab uxoribus.* (*Cap. 9. tom. 8. Concil. pag. 948.*) Synodus Augustana an. 952: *Episcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, ut in multis Conciliis firmatum est, quia divina ministeria contrectant, ab uxoribus abstineant.* (*Cap. 11. tom. 9. Concil. pag. 637.*) Si varias perlustraveris Latinorum Ecclesias, eandem de servanda continentia Episcopis, Presbyteris & Diaconis legem constantem impositam reperies.

2º. Primis sæculis non unam & eandem fuisse Ecclesiæ Latine de Subdiaconorum continentia disciplinam, satis probat antiquorum Canonum discrepantia, quorum alii usum matrimonii ante